TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PHTHISI PULMONALI.

4

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE PHTHISI PULMONALI.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS MUNRO,

ORCADENSIS;

CHIRURGUS.

Whilst meagre Phthisis gives a silent blow,
Her strokes are sure, but her advances slow;
No loud alarms nor fierce assaults are thrown;
She starves the fortress first, then takes the town.

GARTH.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

VIRO EGREGIO,

THOMÆ BALFOUR DE ELWICK,

COPIARUM SCOTIÆ PRÆFECTORUM

UNI,

OB INNUMERA BENEFICIA,

QUIBUS EUM EJUSQUE

SIBI IN ÆTERNUM OBSTRINXIT;

NECNON,

THOMÆ ANDERSON,

IN OPPIDO LEITH DEGENTI,

REG. SOC. CHIRURGORUM SOCIO,

SUO IN MEDICINA PRÆCEPTORI PRIMO,

ET CERTO AMICO:

POSTREMO,

JACOBO PATERSON,

NON TAM AFFINITATE,

QUAM AMICITIA

QUA SE SEMPER DIGNATUS EST,

SIBI CARISSIMO;

HANCCE CHARTULAM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

SUÆ ERGA EOS OBSERVANTIÆ,

EXIGUUM, SED SINCERUM, TESTIMONIUM,

SACRAM VULT

ANDREAS MUNRO.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PHTHISI PULMONALI.

Auct. ANDREA MUNRO.

MECUM reputanti, quem potiſſimum, e magna copiâ, morbum ſeligerem, de quo, hujus Almæ Academiæ legibus obtemperans, Tentamen Inaugurale quam breviſſimè exararem, priùsquam *Doctoris* gradum adipiſcerer, Phthiſis Pulmonalis ſummam attentionem meritò ſibi vindicare viſa eſt. Non tamen in ſpem venio, me aliquid novum aut certius de naturâ et curatione morbi ſempèr ferè lethalis,

 hùc

hùc allaturum; ſed, eo pæcipuè conſilio, ut, modo eum tractandi, et opinionibus, quas plerique medici, qui de hac re ſcripſerunt, ritè perſpectis, aliquantum auxilii afferre poſſem miſeriis eorum hominum, malo laborantium omnium, quæ ego ſcio, maximè funeſto, et latiſſimè graſſante. Et cum morbi diuturnitatem ac ſeveritatem ſpectes; cum in animo perpendas pulcherrimos utriuſque ſexûs, præſertìm feminini, juvenes eum adoriri ſolere, quos plerùmque, florente ætate, hilares animi, omniaque potiùs quam extremum diem expectantes, morte præmaturâ, amicis acerbâ, extinguit; ad hoc, ſtrages latiores in hâc inſulâ quam in ullâ aliâ terrarum parte quotannìs edere; nullus morbus, ni fallor, aut moleſtior, aut periculoſior, vel medicorum inveſtigatione dignior, haberi poteſt.

Sed, quamvis innumeri ferè libri, ad hanc rem pertinentes, a medicis ingenioſiſſimis ſcripti ſunt, tamen nihil aliud quam morbi levamen

attigiſſe,

attigiſſe, et sìc fato inſtanti aliquamdiu obſtitiſſe, videntur. Cujus rei ratio videtur eſſe, propterea quod morbus, de quo agitur, in inſtrumento delicatiſſimo vitæque quam maximè neceſſario, quò nullis remediis aditus rectà patet, continetur, vel ob aliquam cauſam adhùc in tenebris ſubmerſam.

Diverſæ hujus morbi ſpecies a ſcriptoribus memorantur, et a diverſis earum cauſis aliæ alitèr appellatæ ſunt. Sed mihi in animo eſt, in hoc tentamine, veræ phthiſi, a tuberculis in pulmonibus ſitis ortæ, curam meam adhibere.

Celeberrimus CULLENUS hunc morbum accuratè, ut mihi videtur, ſic definit: "Corporis "emaciatio, debilitas, tuſſis, febris hectica, et "plerùmque expectoratio, purulenta."

Eum in phthiſin incipientem et phthiſin confirmatam dividit: quarum illam nulla, hanc major vel minor puris expectoratio, comitatur.

Hæ tamen manifeſtè ſunt diverſa ſtadia, ſeu tempora, ejuſdem morbi, neque ſpecies diſtinctæ habendæ ſunt.

HISTORIA MORBI.

MORBUS primùm ſeſe oſtendit diverſis temporibus a pubertate ad ſeptimum luſtrum; nulla verò hominis ætas illi non obnoxia eſt. Infantes * enim interdùm nati ſunt ſummâ macie et

* Dr Alb. Haller, in Obſervationibus Pathologicis, hæc verba habet.—"The ancient phyſicians have aſſigned "certain ſtages of life to conſumptions. I ſhall not take "it upon me to call their judgment in queſtion upon the "ſubject. But I muſt beg leave to ſay, with due ſubmiſſion to their judgment, that it is a diſeaſe which attacks life very early, and even infancy itſelf, as I have "been convinced by more than one inſtance; and no "longer ago than January laſt, in a male infant, leſs than "a year old, which I diſſected, the right lobe of the lungs "was quite full of a white, thick, and well-concocted "pus."

et tuſſi violentâ laborantes, et, intra menſem poſt natum, phthiſi confirmatâ evidentèr extincti fuerunt * : et Dr ROBINSON mentionem facit mulieris, quam morbus hic corripuit, tempore quo menſtrua plerùmque fluere deſinunt.

Inflammationis ſtadium incipit ſiccâ tuſſiculâ, titillationem ciente, adeò leni, ut ſæpè obſervationem ægri vel ejus amicorum eludat. Reſpiratio quoque ſub motu corporis haud parùm acceleratur. Æger marceſcit, langueſcit, et motui omnigeno ineptus fit. Hæc ſymptomata in unum vel alterum annum ſine magnâ mutatione durant; ſed æger frigore magis afficitur, quod tuſſim augere ſolet, et quoddam *catarrhi* inducit.

Tandem tuſſis ingraveſcit, ægro in lecto decumbenti noctu præſertìm moleſta eſt, et diutiùs manet quam ea quæ ab uſitato catarrho originem

* Dr REID's Eſſay on the Phthiſis Pulmonalis.

originem ſuam trahit; quod, ſi æſtate accidit, pejus eſt.

Tuſſis ægrum ſæpè diù infeſtat, expectoratione nullâ comitante; ſed, cum frigori crebrò expoſitus ſit, magìs conſtans, aliquâ muci excreatione, præſertìm autem mane, ſtipata, evadit. Materia, excreatione rejecta, paulatìm copioſior, magis viſcida et fuſca fit: tandem flaveſcit, vireſcit, vel colorem purulentum induit. Quod argumento eſt ſtadium ſecundum vel *ſuppurationis* jam inchoâſſe.

Reſpiratio difficilior exiſtit, ægerque motûs aliquantulum averſatur, ac vìx quidem ferre poteſt. In mulieribus, morbo progrediente, et interdùm ejus principio, fluxus menſtrualis retinetur.

Cum tuſſis aliquamdiù manſerit, arteriarum pulſus, primùm naturales, jàm frequentiores fiunt. Dolor quoque alicubì in thorace, primùm

plerùmque

plerùmque ſub ſterno ſentitur, præcipue, vel ſolùm forſàn, cum tuſſis urget. Alter dolor, ineunte morbo, latus alterutrum ægri, præſertìm in lecto decumbentis, vel plenam inſpirationem facientis, occupat. Oculi hebeſcunt, vultus palleſcit, ſpiritus fœtidus evadit.

Confirmato jam morbo, hectica febris * incipit, cum acerbationibus meridianis et veſpertinis, ſudore in ſuperiori corporis parte paulò poſt erumpente. Genæ ruboribus circumſcriptis, poſt cibum ſumptum candentibus, ſuffunduntur. Manuum volæ et pedum plantæ ariditatis et caloris ſenſu moleſto afficiuntur. Oculi tunica adnata peculiaris albidi coloris fit.

Morbo

* Variæ ſcriptorum medicorum ſententiæ ſunt, de tempore quo febris hectica primùm apparet; aliis affirmantibus, eam incipere ſub finem primi ſtadii; aliis autem, ſe non oſtendere priùſquam ſtadium ſecundum terminetur vel ultimum inchoet. Sed hanc rem in medio linquam: nam, ſi omnia argumenta ad utramque opinionem ſuſtinendam, proferrem, limites, quos huic diſſertationi præſcripſi, tranſilirem.

Morbo progrediente, omnia ſymptomata magìs ingraveſcunt: tuſſis ægrum indeſinentèr urget, proclivitate ad vomitum ſtipante. Vox rauca, multùmque mutata fit. Magna anxietas et oppreſſionis ſenſus in pectore adſunt. Reſpiratio cita et operoſa eſt, et frequentèr fœtorem edit. Pulſus duriſſimi celerrimique, præſertìm veſpere adventante, raró pauciores quam centum intra temporis *minutum*, exiſtunt. Cutis valdè areſcit; nullum cibi deſiderium eſt; neque dormire poteſt æger. Veſperis adventu, ſudor accedit, et ſigna febrilia remiſſione fruuntur.

Tandem natura, tot malorum onus ferendo inhabilis facta, paulatìm refert pedem. Alvi fluxus, tertium morbi ſtadium ſtipans, aliis ſymptomatis ſupervenit. Expectoratio minus copioſa fit, ac miſeri ægri vires, ſudoribus colliquativis e fronte et pectore provenientibus, exhauriuntur. Malæ, dum reliqua cutis pallida decolorque exiſtit, rubore tinguntur. Oculi in ſuis orbitis deprimuntur; ungues curvantur; et capilli

pilli a corpore paſsìm delabuntur. Crura et tali tumeſcunt, reliquo corpore penitùs exhauſto. Poſtremò, vitâ per complures nonnunquàm annos maximæ miſeriæ productâ, ægrum ſæpe animi hilariſſimum, et tandem redituræ valetudinis ſecundæ ſpem certiſſimam foventem, facilis et repentina mors extinguit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Remotæ Cauſæ in opportunos facientes et excitantes dividuntur.

Cauſæ homines huic morbo opportunos facientes ſunt debilitas et nimia mobilitas vaſorum ſanguiferorum. Quarum notæ ſunt pulcher et delicatus color vultûs, cutiſque adeò pellucida ut venæ cærulei coloris manifeſtè per eam appareant.

Peculiaris corporis forma, ſcilicet, anguſtus

thorax, collum longum, coſtæ depreſſæ, ſcapulæ prominentes, et corpus gracile, ſanguinis ad pulmones impetui favet, eorundem obſtructiones et ſanguinis profluvia faciens, et ſic homines huic morbo opportunos facit.

Hìnc mulieres ad phthiſin pulmonalem procliviores ſunt quam viri, quarum pulcherrimæ et elegantiſſimæ ei ſæpè ſuccumbunt.

Magna quoque ſenſibilitas generis nervoſi ad eandem proclivitatem gignit.

Ætas, porrò, quâ morbus primùm ſe oſtendere incipit, inter has cauſas memoranda eſt; quoniam morbus rarò, ante pubertatem, vel ultra trigeſimum quintum annum, accidere ſolet.

Tempus vernum, quoniam cum aliis cauſis ſuprà memoratis operam ſuam confert, inter earum numerum habendum eſt.

Omnium

Omnium autem causarum huic morbo homines prædisponentium, nulla hùc magìs spectat quàm labes hæreditaria scrofulosa.

CAUSÆ EXCITANTES.

Causæ Excitantes, vel eæ quæ in corpore ad morbum jam proclivi facto, morbum excitant, complectuntur omnia quæ sanguinis majorem justo fluxum ad pulmones faciunt, vasa sanguifera ibì distendentem, et sic plethoram localem producentem.

Hujusmodi est pulmonum inflammatio partiumque vicinarum.

Catarrhus phthisin pulmonalem inducere periclitatur, magnam muci vim in pulmones dirigendo, et sic tussim molestam irritationemque excitando,

Omnia quæ ſanguinis congeſtionem in pulmonibus efficiunt, hujus morbi cauſæ excitantes habenda ſunt: cujuſmodi eſt exercitatio violenta; crebra cantio, ſeu voce ſeu tibiis; faſciæ, corpus arctè conſtringentes; fluxuum ſolitorum retentio; vehementes partium vicinarum dolores, liberum per pulmones aëris tranſitum impedientes; pulmonum obſtructiones et irritationes.

Exercitatio violenta, ſanguine celeriùs in pulmones propulſo quam indè expellitur, vaſa diſtendit, et *hæmoptiſin* gignendo habilis fit.

Cum vox per aëris a pulmonibus expulſionem formetur, magna ejuſdem intentio, ut in canendo, vel concionando, ſanguine in pulmonibus congeſto, eodem quo *exercitatio violenta* pertinet.

Arcta corporis per faſcias ligatio, quo minus ſanguis per vaſa in ſummo corpore liberè fluat,

impedit,

impedit, ideòque ſanguinis circum cor accumulationem, et indè pendentia mala generat.

Menſtruorum fluxus hæmorrhoidalis, ſoliti e naribus ſanguinis profluvii, ſuppreſſio; uſitatæ ſanguinis detractionis derelictio; phthiſi originem præbere haud rarò obſervantur. Iidem quoque effectus, ac ſuprà memorati, ab aliquo membro amputato interdum proveniunt *.

Vehementes dolores in partibus pulmonibus finitimis; obſtructiones a tumoribus ſcirrhoſis vel a vomicâ nondùm patefactâ, vel a tuberculis vel *glandularum lymphaticarum augmine*, *ortæ*; morbo iter complanant, juſtam pulmonum expanſionem, liberumque per eoſdem ſanguinis tranſitum, remorando.

His

* "The ſame conſequences may follow from the amputation of a limb, as a great part of the circulatory veſſels are loſt, and little blood taken away; by which an over-diſtenſion of the remaining veſſels muſt ariſe." WHITE's Eſſay on Phthiſis Pulmonalis, p. 27.

His caufis excitantibus adjici poffunt concretiones lapideæ in pulmonibus, eorundem pleuræ adhæfio, pulveris inhalatio, quod identidèm accidit quibufdam artificibus; lapicidis, nempè, in frumenti moliturâ, vel linum carpendo, verfatis, cæterifque.

CAUSA PROXIMA.

HANC effe *inflammationem, et tuberculorum fuppurationem*, inter plerofque fcriptores medicos convenit.

Hoc morbo interemptorum fectis cadaveribus, reperiuntur tubercula, in pulmonibus latentia, alia minima grana, alia autem fabas equinas, magnitudine referentia *. Hæc tubercula, cum fecentur, albidæ, lævis, cartilaginofæ fubftantiæ, videntur. In iis paulò provectioribus minima foramina in fuperficie obfervantur,

* REID on Phthifis Pulmonalis.

tur. Ea vero quæ adhùc perfectiùs ſunt formata unâ vel alterâ inſtruuntur cavitatibus, liquorem puris inſtar continentibus. Quo deterſo, quædam parva foramina in fundo apparent, a quibus compreſſis liquor, ei in cavitatibus ſimilis, prodit. Tubercula majora vomicæ vocantur. Cum integra reperiantur, albidum, flavum, cæruleum, cinereum, et interdùm fœtidum liquorem continent ; quum autem rumpantur, liquor, qui emittitur, magìs vel minùs rubidus eſt, et expectorationis purulentæ çauſa exiſtit. RUSH, qui magnum ſibi nomen meritò peperit, opinatur, tubercula proficiſci a debilitate, omnibus corporis partibus communi, vaſis bronchiorum propagatâ, quæ efficit ut hæc mucum, præter naturam abundantem, ſecernant, interdùm in tracheam effuſum, manè excreatione rejiciendum, (nam inter ſomnum copioſius ſolito ſecernitur), ſæpiùs autem in ipſos pulmones, et tumores ibì gignentem.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM QUORUNDAM.

Tuſſis ſicca, inter prima ſigna obſervata, a formatione et irritatione tuberculorum, pendere videtur.

Spirandi difficultas a tuberculis bronchia prementibus et liberum aëris tranſitum impedientibus, oritur.

Debilitas et *tabes*, obſtructiones in pulmonibus, et pravam cibi concoctionem, pro cauſâ agnoſcunt, et a ſudoribus accedentibus magnoperè augentur. Magnæ debilitati quoque originem præbet febris hectica.

Facies pallida et *peculiaris albor tunicæ adnatæ* imminuto ſanguinis impetui in his partibus tribui debent.

Expectorationem

Expectorationem purulentam a ruptis vomicis oriri verisimile videtur: et si sanguine tingitur, quædam vasorum pulmonalium erosa fuisse, argumento est.

Talorum œdema a tardo sanguinis reditu per venas, ob corporis debilitatem, pendet; undè sanguis majore copiâ per arterias exhalantes propellitur, hanc effusionem efficiens.

Febris hectica plerùmque putatur oriri a tuberculorum pure in sanguinem resorpto, et per totum corpus diffuso, ob acrimoniam suam cor et arterias pasśim stimulante, pulsuumque velocitatem accelerante.

DIAGNOSIS.

Quum morbus longè progressus sit, ab aliis facilè distinguendus est: summa macies, expectoratio purulenta, febris hecticæ symptomata, mor-

bum ſolerti medico manifeſtum reddunt. Sed principio ejuſdem talis diſtinctio non æquè facilis eſt. Morbus, cui phthiſis, initio ejus ſimillima eſt, et quîcum facillimè confundi poteſt, catarrhus eſt. Notæ huic propriæ ſunt; propterea quòd præcipuè hyeme vel vere accidit, poſtquàm frigus corpori admotum eſt; ſigna a frigore orta: ſcilicet, coryza, inflammatio, et tumor faucium, raucedo, ab ipſo morbi principio tuſſis, febris inflammatoria, nulla debilitas, et hæc ſymptomata, æſtate adventante, decedentia. Quamvis nullum eorum ſignorum ſeparatìm ſumptum magni momenti eſt, ex omnibus tamen conjunctis, *catarrhum* adeſſe medicus colligere poteſt. E contrario, tuſſis non ab ipſo morbi principio, incipiens, neque a *catarrho* originem trahens; non humida, et æſtatis adventu non decedens; paulatìm accedens; ab ægro ipſo vìx percepta; macies quoque debilitati adjecta; phthiſin adeſſe, et tubercula in pulmonibus deliteſcere, ſatìs demonſtrant.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

In plerisque casibus, eventus hujus morbi infaustus est, et in junioribus quàm in ætatis provictioris hominibus periculosior.

Opinio vulgaris est, cùm pulmones morbidi facti sint, morbum immedicabilem fieri. Sed rem non sempèr ità se habere, ex hoc patet, unum pulmonum lobum hominis, qui ex hoc morbo convaluerat, secto ejus cadavere, prorsùs deletum repertum fuisse *. Magnum morbi periculum hìnc forsàn oritur, propterea quòd morbus plerùmque multum in corpore detrimenti ediderit, priusquàm medicus ad ægrum arcessitus sit. Phthisis pulmonalis, quam hæmoptysis causa continet, minùs periculosa quàm a tuberculis orta, est. Phthisis, tuberculorum proles, interdùm sanata est; sed tabi hæredita-

* Mudge on Catarrh.

riæ debita, omnium periculosissima et certissimè fatalis invenitur. Periculum, aliquâ saltem ex parte, judicari potest a magnitudine ad quam febris hectica pervenit. Summa macies et debilitas, sudores copiosi et alvus fusa, de ægro jàm actum esse, ferè pro certo indicant. Homines, tamen hoc morbo affecti, summa debilitate in quâ vita consistere potuit, laborantes, a medicis desperati, contra omnium spem interdùm, quamvìs rarissimè ad perfectissimam sanitatem restituti sunt. GREGORIUS noster, in suis Prælectionibus Clinicis, exemplum refert feminæ, a phthisi post pleuritidem correptæ, cujus mortem sudores colliquativi, diarrhæa, febris hectica, purulenta expectoratio, aliaque signa mala, jam jamque affuturam, denunciabant. Idoneâ verò curatione adhibitâ, remediisque ad symptomata mala compescenda applicatis, intervallo quadraginta circiter dierum, pristinam valetudinem secundam mirum in modum prorsùs recuperavit. Compluribus interjectis annis, quibus omnibus phthiseos indiciis immunis vitam egerat, ad no-

socomium

ſocomium rheumatiſmo acuto laborans ſe recepit; nunquàm poſtea tamen phthiſis eam adorta eſt. Geſtatio phthiſi moram afferre obſervatur; ſed, poſt partum, omnia ſymptomata revertuntur, et ingraveſcunt, breviterque miſellæ mortem accelerant.

CURATIO.

In nullo, quàm in hoc morbo artis medicæ impotentia magìs conſpicua atque deploranda eſt, neque ullus morbus medicinæ opprobrium rectiùs habetur. *Theoria*, ab ingenioſo Beddoes nuper in medium prolata, docet phthiſicos aliquam ſubiiſſe mutationem, quâ pulmones eorum *oxygen* ab aëre ſibi attrahendo habiliores fieri, et hìnc morbum oriri. Cujus veritatis ſanguinis color rutilus argumentum oſtentatur. Hâc *hypotheſi* nixus, eruditus ille medicus et ſcriptor elegans, ægros, arctis cubiculis incluſos, aërem *carbonicum* per apparatum, hoc conſilio conſtructum,

conſtructum, inhalare ſuadet ; nempè, ut ſic ſtatus ſcorbuticus afferatur. Sed hæcce *theoria* phthiſeos naturam nequaquàm poteſt explicare, quoniam, quæ corpus oxygenis appetentius faciant, prorſùs ignoretur ; veriſimiliùſque videtur, cum reſpiratio multum impediatur, aërem mephiticum quam *oxygenem* in pulmonibus accumulari.

Ex ante dictis de morbi naturâ, quam difficilis, ſi unquam poſſibilis, ejus ſanatio ſit, omnibus facilè patebit. Et quamvis omnia, quibus medicus utitur, remedia plerùmque ſecùs procedunt, nihilominùs ſummâ ope niti, et nunquàm ſpem amittere, decet. Igitur ad hoc efficiendum tria conſilia neceſſaria ſunt.

1*mo*, Tuberculorum inflammationi occurrere.

2*do*, Immodicum humorum impetum a pulmonibus ſuperficiem verſus dirigere.

3*tio*,

3*tio*, Symptomatis quibuſdam levamen afferre.

Primum conſilium perficitur, regimine antiphlogiſtico ſedulò obſervato, ideoque alimenti generis, quo æger utitur, ratione habitâ. Hoc enim tanti momenti eſt, ut, diætâ neglectâ, fruſtrà omnia reemedia adhiberentur. Æger itàque a cibo animali prorſùs abſtineatur, ſoliſque ferè plantis, quamvis non minimum nutrimenti habentibus, utatur.

Lac igitur phthiſicorum maxima pars tàm curationis quàm cibi eſſe debet, cujus beneficium longa ſeries annorum teſtatur. Genus hujus quod attinet; vel femineum, vel aſininum, vel equinum, vel caprinum, omnibus aliis anteponenda ſunt, quippe quæ, quàmvis minus nutritionis continent, concoctu faciliora ſint.

Nonnulla exempla phthiſeos, ſine ullis medicamentis, a lacte humano ſolo ſanatæ, memoriæ traduntur,

traduntur, cum ultimâ ægri hora adventare putaretur *. Lacti tamen incommoda ſua non deſunt; quippe quòd, alvum modo aſtrictam reddat, modo nimìs coagulando noxæ fiat. Sed magneſia, ventriculi aciditatem corrigendo, ambobus his malis commodiſſimè occurret.

Caro ipſa, et cibus e carne petitus, quia nimis ſtimulat, et calorem in ventriculo excitat, multum damni ſecum afferunt; ideoque ſempèr ferè vitanda. Quod ſi unquàm hujuſmodi materia utendi neceſſitas accidat, piſces, præſertìm autem teſtacei, minus detrimenti morbo efficiunt.

Sed dùm ad ægri regimen attendimus, minimè negligendus eſt animi ſtatus. Igitur tranquillus et placidus ſervandus, amicorum grato contubernio delectandus eſt, a pathematibus violentis longè abſit; quam ob rem, omnes animi affectiones

* ROBINSON on Phthiſis Pulmonalis.

affectiones nimiæ, ut ira, gaudium, mœror, &c. quæ ſtimulo ſuo noçent, fugiendæ ſunt.

Sanguinis detractio. Venæſectio in hoc morbo remedium utiliſſimum eſſe invenitur; ſed, niſi quibuſdam rebus ejus uſum ſuadentibus, ad eam non ſempèr decurrendum mihi videtur. Cùm ægri vires multùm proſtratæ ſint, hæc evacuatio pernicioſa manifeſtè eſſet. Symptomata, ſanguinis detractioni faventia, ſunt tuſſis ſicca, pulſus plenus, durus, et creber; in thorace dolor; reſpiratio difficilis. Sanguis parcâ manu * educendus eſt; nàm copioſè profuſus, le-

* Gregorius ingenioſus obſervat, ſempèr memoriâ tenendum eſſe, "Tantam ſæpe, quaſi puncto temporis, ab "intempeſtiva ſanguinis abſtractione, corpori inferre per- "niciem, quantam neque optimi medici peritia, neque "omnia medicinæ ſubſidia, poſtea compenſare potuerint. "Nam, ut ſanguis ſemel miſſus nunquam in venas redit, "ſic neque vires cum illo amiſſæ in variis morbis un- "quam refici poſſunt."

vamine pro tempore allato, poſteà debilitatem ægri auget, mortemque citam intentat.

Refrigerantia. Ea, plerorumque conſenſu, ad tuberculorum inflammationem minuendam plurimùm valent. Hùc ſpectant ſucci maturorum fructuum, aquâ diluti, qui ſuaviſſimum potum ſuggerunt. Sed ſuâ culpâ non carent, quoniam ad diarrhæam proclivitatem gignant, quæ cum obſervatur, parciſſimè adhiberi debent *.

Indicatio altera perficitur

Per exercitationem. Omnigeni corpus exercendi modi, quos nimia quaſſatio non ſtipat, phthiſipneumoniacis ſalutiferi ſunt. Quoniam, igitur,

* Gregorius, in Prælectionibus ſuis de Medicinæ Praxi, mentionem facit feminæ hoc morbo laborantis, quæ adeo debilis fuit, ut ejus ſupremus dies mox expectaretur, ad ſanitatem reductæ, ſolùm magnam aurantiorum vim quotidie edendo.

igitur, ambulationem nimia comitetur agitatio, in ejus locum, approbantibus medicis, equitatio, navigatio, et in ſediculâ pendulà agitatio, ſubiêre, de quibus ſingulis pauca diſſerere mihi in animo eſt.

Equitatio, niſi cum ad hæmoptyſin proclivitas adſit, phthiſicis magno ſæpè auxilio eſt. Sed in memoriâ tenendum eſt, hanc geſtationem tantùm ineunte morbo ſalutarem eſſe: et, e contrario, cum jàm morbus longè proceſſerit, pure ſanguine recepto, perque univerſum ſyſtema diffuſo, quumque febris hectica totum corpus multùm debilitaverit, tùm demùm remedium hocce, ab egregio SYDENHAMO adeò laudatum, nocentiſſimum evadere. Vehiculo ferri, cæteris paribus, niſi in viis planis, æquè ferè culpandum eſt.

Navigatio. Omnium autem geſtationis generum optimum eſt navi vehi; quippe cujus agitatio diu noctuque indeſinentèr ſervetur

 quodque

quodque conſtantem, et æqualem perſpirationem ſuſtentet. De utilitate hujus geſtationis inter omnes ſcriptores medicos convenit, ſed de modo quo effectus ſuos edat, magna ſententiarum diverſitas exiſtit; aliis beneficium ejus balſamico reſinoque aëri, a navi inhalato, aliis verò ſalinis et bituminoſis particulis a mari inſpiratis, attribuentibus. Talia autem commenta, tanquam conjecturalia, ſuſque deque habeo. Latet cauſa, effectus notiſſimus eſt.

In ſella penſili agitatio. Hoc remedium ab ingenioſo medico CARMICHAEL SMYTH magnis laudibus elatum eſt, qui in libello, quem de hâc re paucis abhînc annis edidit, tredecim homines, phthiſi laborantes, per hoc exercitii genus ſecundam eorum valetudinem ſuo ductu rurſùs recuperâſſe affirmat. Idem in cor et pulmones ſuam vim exercere opinatur, nàm confeſtìm pulſum celeriorem, ægrumque validiorem, reddit. Ejuſdem agitationis pericula poſtea facta a CULLENO et GREGORIO, in Noſocomio Edinenſi, non

æquè

æquè prosperos successus habuerunt. Cum ægri vires multùm fractæ sint, manifesto periculosa foret.

Emetica. Quidam scriptor *, emeticorum, sed, ut mihi videtur, sine discrimine, usum commendavit; quippe quæ sanguinem ad summum corpus propellant. Certè, in primo morbi stadio, ægri viribus non multum imminutis, ut nauseam cieant administrata, ad hunc effectum præstandum valent: et, ut illustrissimi BRYAN ROBINSON experimenta demonstrant, ad hæmorrhagias reprimendas, morbosque, ab inequali fluidorum distributione provenientes, tollendos, accommodata sunt: sed, morbo jàm multùm progresso, debilitatem augent, et mortem, quæ alitèr aliquamdiù arceri potuisset, accelerato pede instare faciunt. Cl. DUNCANUS, cujus rerum medicarum observatio accurata, ejus testimonio magnam auctoritatem conciliat, in multis phthiseos tuberculosæ exemplis, expectationi suæ

* REID on Phthisis Pulmonalis.

ſuæ non reſpondiſſe in prælectionibus clinicis affirmat.

Veſicatoria alicui thoracis parti admota, ſanguinem a pulmonibus ad ſuperficiem attrahendo, et dolore lateri infixo ſublato, plurimùm proſunt. Idem ferè dicendum eſt de *ſetaceis*, *fonticulis*, et *cauſticis*, quæ, ſanguinis ad pulmones impetum minuendo, bonos eorum effectus præſtant.

Diaphoretica noxæ ſunt. Sed omnium quæ ad ſummum corpus ſanguinis determinationem efficiunt, utiliſſimum, ipſiſque ægris gratiſſimum eſt, veſtimentis calidis ſe defendere. Hoc conſilio, igitur, ſubucula lintea pro laneâ mutari debet, crura et pedes tibialibus laneis obvolvenda ſunt. Frigori enim pedibus applicato, phthiſicis nihil pernicioſius eſſe poteſt.

E rationis ſimilitudine, nonne generalis corporis frictio phthiſicis utilis eſſe debet?

Cœli

Cœli temperies. Aër agreſtis anteponendus urbano; quocircà rus petendum, ubi neque aquilo frigidus tempore verno, neque æſtati fervidi auſtri, infeſtant ægrum. Sed cùm in hâc inſulâ gratum anni tempus per paucos tantùm menſes duret, medici ſtatuerunt optimum eſſe conſilium, hyeme incipiente, mittendos ægros ad regiones iis accommodatiſſimas, ſcilicet, Madeiram, Italiam, Galliamque auſtralem. Sed harum omnium, cœli temperies maximè æqualem, et phthiſicis præſtantiſſimam, in Madeirâ eſſe, longâ experientiâ teſtatur Dr HEBERDEN; in eâ, enim, calor æſtatis, et frigus hibernum, æquè vitari poſſunt.

Poſtremò, ad tertium conſilium perficiendum, nempè ad maximè urgentia ſymptomata levandum, varia, diverſis temporibus, remedia, et cum vario ſucceſſu, excogitata ſunt, quorum præcipua brevitèr ſequar.

Opium. Imprimis ad tuſſis ſeveritatem compeſcendam

pescendam in provecto morbi stadio, opium plus boni efficere repertum est, somnô inductô, quàm mali, diathesi phlogisticâ auctâ. Idem ad diarrhæam colliquativam sistendam maximè pollet. Ineunte diarrhæâ, secundum Cullenum illustrissimum, acidi fructus, antisepticâ vi, salutiferi esse putantur. Vini aliquantum ægro præbendum est, et ob causas suprà dictas, et quia ejus vires optimè sustentat.

Cinchona. Cum magna diathesis inflammatoria adsit, cortex Peruvianus, eodem modo, ac cætera tonica, hâc auctâ, damnum adfert, sed in ultimo morbi stadio, tali diathesi non presente, ægrique viribus multùm prostratis, a compluribus auctoribus commendatus est, nec immeritò; quippe qui cum acidis conjunctis sudoribus colliquativis optimum levamen præbet.

Eodem redeunt *mucilaginea quædam* quippe quæ morbi sævitiam sæpè frangant, ventricu-

loque

loque levius quàm *olea expressa* vel *syrupi* insideant.

Dolores lancinantes in pectore interdùm adeò ſunt intenſi, ut ad eos mitigandos ſanguinis miſſione opus ſit.

Porrò, hìc non alienum videtur quædam remedia enumerare, quæ morbo generali auxiliari dicuntur.

Inter ea hydrargyri præparata ſuis laudatoribus non carent: ſed CULLENUS cùm eorum pericula multa feciſſet, in hoc malo, manifeſtæ perniciei eſſe, certior factus eſt.

Aquæ chalybeatæ ægro jàm convaleſcenti prodeſſe putantur.

Aquæ marinæ *, phthiſi ſcrophuloſà laborantes ſæpè optimos effectus experti ſunt.

E De

* RUSSEL in Tractu de Aquâ Marinâ.

De *Balſamicis*, quæ frequentèr in hoc morbo adhiberi ſolent, inter medicos non convenit; ſed Myrrha, ſecundum clarum DUNCANUM, cum tartari chryſtallis, vel nitro conjuncta, bonum remedium, præſertìm in feminis hyſtericis, evadit.

Cicuta et *digitalis* in hoc morbo ægris interdùm adminiſtrantur; ſed talium remediorum boni effectus mihi ambigui videntur, neque ad ea confugiendum eſt, priùſquam omnia alia ſecùs proceſſerant.

Ætheris vitriolici vapores in phthiſeos pulmonalis curatione a Doctore RICARDO PEARSON nupèr multùm laudati ſunt: ſed cum ego eorum effectuum bonorum periculum nunquàm fecerim, ipſius verba hic loci liceat mihi citare.

" * Having, for the laſt two years, preſcribed
" the vapour of vitriolic æther to patients la-
" bouring

* Annals of Medicine for 1796, page 420

" bouring under phthiſis pulmonalis, and ha-
" ving, both in hoſpital and private practice,
" experienced the beſt effects from its uſe in
" this frequent and formidable diſeaſe, I am
" preparing to lay before the public a report of
" the caſes in which it has been given, accom-
" panied with remarks on ſome other remedies
" that may be employed with advantage in
" the cure of conſumptions. Being deſirous,
" in the recommendation of a new medicine,
" to have my own evidence ſupported by the
" concurrent teſtimonies of other practition-
" ers, I take the liberty of calling your at-
" tention to this ſubject, and of ſubmitting to
" your notice my method of uſing this appli-
" cation, which is ſimply this: I direct the
" patient to pour one or two tea-ſpoonfuls of
" pure vitriolic æther, or of æther impregnated
" with cicuta in the manner hereafter deſcri-
" bed, into a tea-cup or wine-glaſs, and af-
" terwards to hold the ſame up to the mouth,
" and draw in the vapour that ariſes from it

" with the breath, until the æther is evapo
" rated. This is repeated three, four, or five
" times, in the courſe of a day, for a month
" or ſix weeks, more or leſs according to cir-
" cumſtances. The firſt effects of this appli-
" cation are, an agreeable ſenſation of cool-
" neſs in the cheſt, an abatement of the dyſp-
" nœa and cough, and, after ten minutes or a
" quarter of an hour, eaſier expectoration. The
" ultimate effects, provided other proper mea-
" ſures be not neglected, (for this is not to ſu-
" perſede the uſe of other medicines, but to be
" employed in conjunction with them), are, a
" removal of the local inflammation, a clean-
" ſing and healing of the ulcerated lungs, and
" a ſuppreſſion of the hectic fever. To aſſert,
" that all theſe beneficial conſequences will
" flow from its application in every ſpecies
" and degree of phthiſis pulmonalis, would be
" adopting the language of quacks, and in-
" ſulting the underſtanding of every one ex-
" perienced in the profeſſion: but to ſay, that

" fome of thefe good effects are likely to re-
" fult from its ufe in moft inftances, and moft
" of them in a great number of inftances, is
" afferting only what an experience of two
" years, in a fituation where the opportunities
" of making trial of it have been very fre-
" quent, has fully confirmed.

" The falutary operation of the æther ap-
" plied to the lungs, in the form of vapour,
" I have found to be greatly promoted by
" feveral volatile fubftances that are foluble in
" it, but by none more fo than the cicuta. By
" macerating a fufficient quantity of the dried
" leaves of this plant in æther, for the fpace
" of three or four days, or at moft a week,
" and occafionally fhaking them together, a
" very faturated tincture is obtained, which
" may be inhaled in the fame manner, and in
" the fame dofes, as the pure æther. My pro-
" portions are a fcruple or half a dram of the
" powdered leaves to every ounce of æther.

" The

" The narcotic particles of the cicuta, con-
" veyed in this manner, along with the æther,
" to the difeafed lungs, act as a topical appli-
" cation with the beft effect: hence æther,
" thus impregnated, fucceeds in moft inftances
" better than when it is employed alone. The
" only unpleafant circumftance attending the
" inhalation of this æthereal tincture of cicuta,
" is a flight degree of ficknefs and giddinefs,
" which, however, foon go off.

" It cannot be expected, that I fhould here
" point out every fymptom, or fet of fymptoms,
" which indicate or forbid the ufe of this ap-
" plication: I fhall only remark, that it ap-
" pears to be beft fuited to the florid, or what
" is commonly termed the fcrophulous con-
" fumption. Where the pulmonic affection is
" complicated with the mefenteric obftruction,
" or difeafes of the other vifcera, or a dropfi-
" cal condition, it affords but tranfitory relief;

" and

" and in the very laſt ſtage of the diſorder, the " proper time of uſing it is paſt."

Finem impoſiturus Diſſertationi huic Inaugurali, quam nunquàm ſcripſiſſem, niſi ut hujus ACADEMIÆ inſtitutis morem gererem, qualiſcunque eſt, rogo, Præceptores mî, eam boni conſulatis. Erroribus, qui paſsìm inveniri poſſunt, indulgentèr ignoſcatis. Nullius enim mali, cui miſeri mortales obnoxii ſunt, natura inveſtigatu difficilior, nullius morbi curatio magìs incerta et infelix, eſt, neque ſolertiſſimorum medicinam facientium tàm in ejus, quàm multorum aliorum, medelâ, conatus, opproprii, " artem noſtram " conjecturalem eſſe," injuſtitiam oſtendere unquàm potuerunt, vel, fortaſsè, unquàm poterunt.